29

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
ſiſtens

ARTHRITIDEM VAGAM,

Quam
DEO SUFFRAGANTE,
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO
PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, & reſpectivè SUPREMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIque ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.
CONSENSU & AUTORITATE AMPLISSIMI MEDICOR. ORDINIS,
SUB PRÆSIDIO
VIRI Præ-Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Experientiſſimi,
DN. JOANNIS PHILIPPI EYSELII,
Medicinæ Doctoris, Anatom. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ.
Facultatis Medicæ Aſſeſſoris Graviſſimi, P. L. C.
DN. PATRONI ac PROMOTORIS omni obſervantiæ cultu proſequendi,
PRO LICENTIA,
Summos in MEDICINA HONORES, & INSIGNIA DOCTORALIA
ritè impetrandi,
Publicæ & placidæ Eruditorum Diſquiſitioni exponet,
Gottlieb Friedrich BALDUINUS, Spora-Misnic.
Die 5. Decembris, Anno 1710.
In Auditorio Majori, Horis conſvetis.

ERFFURTI, Typis JOH. HENR. GROSCH. Acad. Typogr.

Σὺν τῷ Θεῷ.

PROŒMIUM.

DE *Septimio Severo*, Principe quodam Romano, relatum legimus, quod ille, *Senex jam & Podagricus* conjurationem Nobilium aliquando advertens, relatâ ad caput manu, ſic ſontes allocutus fuerit: *Sentitis, caput imperare, non pedes*. Subindicaturus: Pedes licet pro munere ſuo fungendo admodum debiles hactenus fuerint; tantum autem abſit, ut caput unquam defecerit, ut potius ſalvum ſemper alacre ac perſpicax extiterit.

Tam excellentiſſimæ ejusmodi dotis celeberrimus *Sydenham in Prax. ſua Medic. Experiment. Sect. 1. c. 1.* ſufficientem nobis ſuppeditat rationem, ſic ſcribens: *Dictitat ratio, ſi quid ego hîc judico, Morbum, quantumlibet ejus cauſæ humano corpori adverſentur, nihil eſſe aliud, qvam Naturæ conamen materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis.* Et paulò poſt. *Qvid Arthritis, niſi Naturæ providentia, ad depurandum corporis profundum?* Hancin præſentiarum paululum ſcrutabor, ea propter maximè, quod, Naturam ſibi non raró deficere, Arteque hinc adjutrice plus minus indigere, conſtet. Refert indè meâ, & operæ pretium etiam eſt, in hujus dolorifici adfectus Naturam

Sub-

Subjectum, cauſam, ſigna &c. paululum inquirere, ac pro ingenioli tenuitate, pagellarumque paucitate, Curationem ſuccinctè ſubnectere. DEUS Adjutor boni, adjuvet meos conatus, ſecundetque eosdem, ſic quidem, ut in Sui præprimis Gloriam, multorumque emolumentum cedant, concedatque feliciter!

§. I.

SI, teſte *Philoſopho*, *Ordo omnis eſt ratio*, optimum factu ratus, illum etiam hîc, qui rationi & congruus, & Philoſophis maxime ſolemnis eſt, ſequi, inquam, præ *Rerum* inveſtigatione tradere Nominis *Onomatologiam*.

§. II.

Ἀπὸ τοῦ ἄρθρου, i. e. *articulo* Arthritidem derivari, nemo, niſi Græcæ lingvæ expers, dubitabit. Operam etiam hinc & oleum perditurus, nauſeam item forſan nonnullis excitaturus, ſi crambem toties coctam, reapponerem. Hoc tantum hac occaſione prælibaſſe ſufficiat: parili forſan ratione, quâ dolor dentibus, illum ipſum hic articulis adſignari debere.

§. III.

Vagam autem dixi, quam etiam *Erraticam* aut

Vagabundam nuncupes, perindè mihi, ut differentia *hanc* inter & *Fixam* aliqvatenus eluceſcat: *Illa* ſcilicet *Vaga* longè latèque tyrannidem ſuam circa articulorum partes, maximè ſenſiles, exerit; hæc verò lato ita limite non ducitur; ſed nunc in manibus, uti *Chiragra*, nunc in coxendice, uti *Iſchias*, nunc in genubus, uti *Gonagra*, nunc in pedibus, uti *Podagra* &c. preſſius pedem figit.

§. IV.

Variè autem à variis audit. *Latini* illam vocant *morbum articularem*, *dolorem* item *articulorum* atquè *juncturarum*, *Guttam deniquè Veteres*, quàm benè autem *vid. Sennertus de Arthritide*. *Germanis* venit communisſimè die lauffende und reiſſende Gicht. It. Das Reiſſen oder Wehe derer Glieder; nec non per jocum derer Reichen Kranckheit/ quod cupediis hi deliciisquè maturè forſan adſveſcant, ſicquè ſibi præ cæteris hanc familiarem reddant.

§. V.

Πραγματολογία hanc excipit, ubi ſtatim ad Definitionem tradendam provocor. Sit autem talis: *Arthritis Vaga eſt dolor, ſat exquiſitè rodens, partibus ſenſu præditis & articulorum peripheriæ arctius accommodatis periodicè infenſus, à particulis acrioribus,* πρὸς ἀκμὴν *plus minus evectis exortus.*

§. VI.

Dolorem generis loco hîc poſui, quem nonnulli per triſtem ſenſum exprimere avent. Eſt autem varius. Primo *ratione graduum*, alius *levior*, qui forſan in ſcabie, pruritu, & ſub luxatione, alius *intenſior* in pleu-

ritide

ritide ſpuria, verâvé luxatione, alius denique exquiſitisſimus in conquaſſatione, fracturâ aut hîc in arthritide noſtrâ obſervabilis. Secundo *ratione Modi*; longum ubiqué catalogum offendimus. Alii enim alios gravativos, punctorios, pulſantes, lancinantes, ardentes, algentes, tenſivos, acutos deniqué & rodentes dolores, pro diverſa adficientium natura & modificatione, annotarunt, quos omnes veró ad duos fontes, *Diſtenſionem*, puta, & *Roſionem membranarum Excellentisſimus Hoffmannus reducit*. Adſtipulatus huic *Experientiſſ. Viro* Arthritidi rodentem dolorem adſignavi, hoc pondere inſuper addito: |*Sat exquiſitè*, ut acumen ſummumqué vigorem in iſtâ aliqvatenus indigitarem.

§. VII.

Hoc unicum ſuperaddere liceat, *qvum occaſio Tactum arripiendi* huc mihi ſuppeditetur: quô ſcilicet dolor iſte noſter ſit referendus? *Imminuto* atqué *abolito* vix & ne vix quidem ſubſcribere poſſum, ni ſic toto cœlo aberrare velim; *Depravato* autem *Actum* antepono, quum hic ipſe tortor ille ſit, ad cujus eqvuleum partes noſtri corporis maximé ſenſiles ſe applicare coguntur. Ex quo fundamento nemo etiam non videt, me illis cum potisſimum facere, qui ad *ſenſus externos* neutiquam verò *internos* illum transferunt.

§. VIII.

Subjectum, partibus ſenſu præditis & articulorum, peripheriæ arctius accommodatis, in definitione mea adumbravi, cui obſcuritatis nebulam jam nunc remotu-

moturus ſum. Si ad ſenſationem maximè requiratur: *Organa ab objecto qvodammodo flecti debere*, duriora, qualia ſunt oſſa hîcque articuli, ſponte ſua decidunt. Interim tamen in verbis ſumus faciles, & vulgò loquimur: **Die Zähne thun mir wehe /** quum tamen illi nil minus quàm dolere ſveverint, in rebus autem ſic conveniamus. Nimirum fibræ ſunt adæquatum illud ſubjectum, quatenus hæ vel in tunicam, membranam & ligamentum contextæ, aut in tendinem collectæ, vel ipſi nervi his interpoſiti aut inſerti. Hâc enim, ceu regiâ viâ, Spiritus noſtri corporis influunt, non ſolum per ſenſoria, quæ accidunt, excubias agentes, ſed hoſtiles etiam inſultus advertentes, qui in univerſo corpore noſtro contingant, quibus niſi reſiſtere ſat validi, aut Medicinâ præſens auxilium fertur, diram interdum longamquè obſidionem ſuſtinere coguntur.

§. IX.

Dixi paulò ſuperius, *Organa ab objecto quodammodò flecti debere*, retuli autem inter ea tendines atquè nervos; quî autem hi cedant? aut ſi cedunt & roſiones illas ſentiunt, mirari ſubit, motus convulſivos neutiquam excitari. Scilicet quâm ſolidi etiam videantur, ſubtilioribus tamen illis & in vigore exiſtentibus particulis, minimè viam exactius præcludent, &, ſi hoc etiam fieret, ſpicula tamen eorum, ſuperficietenus tantum irritantia, vix & ne vix quidem ſubterfugiant. Quod autem convulſivi motus non ſtatim indè oriantur, fit forſan ex illorum inſufficientia muſculis tale quid rigoroſius imprimendi, &

ut

ut taceam, illos etiam immediatum motus organon neutiquam exiſtere.

§. X.

Pergo nunc ad cauſas, proximè quidem proximas explicaturus. Adſerui autem *eſſe omnes illas particulas acriores*, πρὸς ἀκμὴν *plus minus evectas*, fibris NB. partium exquiſitum ſenſum rodendo imprimentes, Spiritusquè noſtri corporis inſigniter irritantes. Harum verò *magis principes* ſunt ſalinæ acidæquè, *minus* verò *principes* ſulphureæ atque terreſtres. Probo. Extra paroxysmum arthriticorum pleraquè ſubjecta ſunt ſcorbutica, horum autem ſaliva, urina atquè ſudores, ſalſas particulas ſatis ſuperquè produnt. Undè etiam *Bartholinus Cent. I, hiſtor. 34. annotavit*, Illuſtrem Virum, Arthritide calculoquè laborantem, integros arenularum manipulos exſudaſſe &c. *Acidum* vel ideò excludere non poſſum, quod rodendo aliàs inſigniter præſtet, coagulando, ſive nodos tophosqvè generando plurimum valeat. Certat pro me, acidum in corporibus noſtris, acidumquè in ſtomachis habitare, ipſa experientia hacquè ſolidè informati *Tachenius*, *Kerckringius*, aliiquè complures, qui talem Podagricam & calculoſam materiam per ignem exactè probâruntAcidum alcaliquè copioſius in illâ offenderunt. *Reliqvæ* adeò conſauciantes non ſunt, ſed ſalibus iſtis, acrioribusquè particulis compedes quaſi imponunt, illas nunc pedibus, manibus, nunc reliquis corporis noſtri partibus adfigentes, accedit inſuper pituita, tùm eo melius res ſuccedit. De *bile* id notandum erit, quod hæc duos quaſi pari-

etes dealbare videatur. Cum enim ſulphureæ & glutinoſæ plus minus ſit ſubſtantiæ, particulas illas terreſtres reliquasquè arctè ſibi adaptare amat; ſi verò ad efferveſcentiam evecta ſpontanei vomitus, dejectionesque hujus generis acriores, inſigne arthriticis lenimen exhibentes, luculentisſimum de effectu ejus in corpore noſtro perhibent teſtimonium.

§. XI.

Quo autem natales ſuos ſingula hæc referant? Non enim adeſſe, ſed undè etiam eſſe ſcire refert. Scilicet, *Procatarcticæ cauſæ*, hîc in ſubſidium vocandæ, &, ut nihil dicam de *Aëre*, diverſis locis diverſis etiam miasmatibus, iisquè acrioribus referto, multum huc faciunt Alimenta è Vegetabilibus, proprio ſale plus minus gaudentibus, petita: his animalia, utrisquè nos veſcimur. Accedit illorum illegitimus uſus, quo acidum ſibi contrahitur, hoc verò cum alcali, inſtar duorum athletarum, in arenam conſcendit, ſuntquè eorum conflictus irritationum, coagulationum, generationum & mille malorum ſolitariæ cauſæ. Peccamus ſic circa *cibum* duriorem, fumo induratum, ſale conditum pro nutrimento utentes. Præprimis multum huc conferunt ſic dicta condimenta nimis piperata, aromatizata, acida hujusque generis plura, & quis *pulmenta* illa, è Regno Vegetabili petita, nondumque omnibus omnia ſatis explorata, recenſere poſſet? Peccamus porrò contra *Potum* non ſatis defecatum, acidulum aut ♀ro abundantem. Sic enim Experientisſimus Schenfelderus *Cent. I. Hiſtor. I. in not.* ſcribit:

Sicut

Sicut cereviſia ex tritico, *qvia vix datur aliqua planta, quæ plus ſalis & tartari habet quam* Vitis & Triticum; *propterea non malè de* Pane & Zytho *quoque in Moraviâ & Ungariâ, locisquè vicinioribus creditur, etiam utrumqve adfectum hunc inducere poſſe.* Peccamus denique in *Vigiliis* exceſſivis, animi *Pathematibus*, ut ira, venere &c. chylum laudabilem impedientibus, & nonnunquam prorſus corrumpentibus: nec minus etiam circa *Motum aut Qvietem*, *Retenta* etiam & *Excreta*, quæ præteriiſſe, quam pauca dixiſſe pro nunc ſufficiat. Multo autem majus mox incrementum ſibi capit hoccè malum, ſi, hæreditario quaſi jure, à Parentibus, hoc ipſo adfectis, idem ad liberos transfertur; aut illi nutrici poſtmodum impuræ committuntur, qvod in aphthis aliisquè infantum morbis acredinem prodentibus, ſatis ſuperquè elucet.

§. XII.

Mirandum, & inquirendum potius, quomodò miaſma illud Arthriticum πρὸς ἀκμὴν *plus minus evehatur, & à parte ad partem transmigret?* Multi in hoc enodando deſudarunt. Hinc etiam Practicis illud plurimæ experientiæ & ſubtiliorum ingeniorum relinquendum eſſet, niſi, in hoc ingenioli tenuitatem exercendam quoque ratus. Nimirum, ex ſupra adductis morbifica talis minera, corpori noſtro hæreditatis vel pravæ Diætæ vitio illata, præſupponitur. Latet autem hæc aliquamdiu, & ſucceſſivè plus minus incrementi capit, donec orgasmo, vel ex p. n. bilis attenuatione, vel Alcali Acidiquè noviter ingeſti altercatione oriundo, iſta in conſortium rapiatur:

 nunc

nunc quidem tunicæ illi glandulosæ reliquisque partibus ſenſationi dicatis, (& jam ſupra adductis) paululum huc illucvé inhærens, mox veró, impetuoſius adacta ab uno ad alterum, lege circ. ſang transmigrat articulum, donec deferbuerit, & à Naturâ, hujusvè adjutrice Medicinâ eliminata, vel fixam ſedem adepta fuerit. &c.

§. XIII.

Reſtat, ſi Definitoni meæ exaſſe ſatisfaciam, ut τὸ *periodicè* explicem. Nimirum *remiſſionis* & *intenſionis gradus* per intervalla recurrentes, hîc intendo. Non quidem, ut eundem typum ſemper habeant, quem febres, unum alterumvè bonum malis intercalantes, ſed quod etiam in ipſo uno eodemquè paroxysmo nunc lenius, nunc furioſius ægrotum invadere ſveverint.

§. XIV.

Signa ſequuntur, quæ inter *Diagnoſtica*, *imminentem* morbum indicantia, primum ſe ſiſtunt. Conqueruntur autem hîc ſubiracundi ſæpè ægrotantes de inſvetâ artuum, univerſique corporis laſſitudine, moleſtiâ inter flectendum & extendendum inſigni, inquietudine pejori, appetitu intenſiore moxque ſubſequente nauſeâ. His accedit febris communisſimè, quæ acuta aut remiſſior imminentis Arthritidis gradus exactè nonnunquam determinat. Jam nunc *præſentem* manifeſtat dolor inſeparabilis, isque atrox, circa oſſium compages oberrans, atrocior, ſi laxum ſpongioſumvé corporis habitum offenderit, atrociſſimus verò ſi *Bacho patre*, *Venere matre*, *iraqve*

nutrice

nutrice indulgentisſimis inſuper parentibus & ſuſtentatricibus aliquamdiu uſus fruitusque fuerit. De *Eventu* denique, ſi aliquid præſagiendum, *Prognoſticorum* hæc potisſima eſſe arbitror. Si ſubjecta vegetiora ſunt, ita, ut peccans iſta materia corrigi atque eliminari posſit, vitium non ſit hæreditarium, nec etiam altius radices egerit, Bonum ſignum! Pejus verò, ſi vires morbi de die in diem accreſcunt, Naturæ verò vigor decreſcit, fixiores locos hoc malum ſibi elegit, nodos tophosque poſt ſe reliquit, aliisque ſymptomatibus gravioribus ſtipatum, tùm tragœdia, triſtis & longa deducitur,

Nec eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger.

§. XV.

Symptomatum inſuper mentio facienda foret, qvum verò plurima horum jam ſupra inſperſa, illis majori jure ſuperſedere poſſum, unò tamen alterovè ſubnectendo. Tumores ſæpenumero conſpicui ſunt, qui verò nunc brevius in toto corpore, nunc longius in pedibus perſiſtunt. Hi, ſi indocta manu tractantur, nodis tophisque maturè generandis variorumque morborum generibus indè emergendis, anſam ſat habilem ſuppeditant. Frequens etiam adeſt capitis dolor, ſi Agrypniis diu ægrotantes infeſtantur, accedente Anorexiâ reliquâque iniquorum ſatellitum cohorte.

§. XVI.

Hiſtoriam his ſubjungere liceat cujusdam non infimi generis, nec minoris eruditionis Viri Juvenis, quô contubernali aliquamdiu uſus, mihi verò

 honoris

honoris ergò hîc reticendus. Ille, macilenti habitûs, autumno, quô tempore ferè omnes morbi ex ſeri vitio orientes impetum reaſſumere ſolent, inſigniter Arthritide corripiebatur; Accerſebat verò hoc malum ſibi ſequenti modô. Scilicet, de adventu è peregrinatione ſerò redeuntis amici Vinum Rhenanum largius per aliquot dies hauriebat, quô brevi tantam ſibi ſtomachus aciditatem contrahebat, ut famem etiam exindè excitatam ægrè explere poſſet. Appetebat hinc præter cætera vitia contra Diætam commiſſa, brasſicam ſale conditam & maceratam cum farcimine aſſato pro more huic ſuper impoſito, his avidè veſcebatur. Cum verò adhuc appetitus nondum penitius ſedatus, par halecum noſtrorum, modò è cado ſalſamentario allatorum, inſuper devorabat. Non multo autem poſt lasſitudinem ſentiebat inſignem, anxietatemque in toto corpore, ſubſequente Anorexiâ atq; Agrypniâ, accedebat Ephemera, vomitus quoque prorumpebant, &, ut brevis ſim, aderat Arthritis Vaga, quâ ad quatuordecim dierum ſpatium intenſisſime adfligebatur, remanente inſigni tumore, donec tandem appropriatis medicamentis priſtinæ ſanitati reſtitueretur.

§. XVII.

Sed tempus eſt, & pagellarum ratio exigit, ut ad *Remedia* nunc tranſitum faciam, horum autem Practicorum libri inſtar Cornu copiæ proſtant. Quo pertinacior enim hic morbus haſtis quaſi ſpiculisq; diros impetus facere ſvevit, eò certe audaciorem

&

& magis armatum Medicum illi contraire oportet. Præſtat autem præſente jam hoſte è triplici, ut ſic loquar, armamentario ἀνθόπλα promere *Chirurgico*, puta, & *Pharmaceutico*, *pro defendendo vel liberando* oppugnatum Microcoſmum, & *Diætetico pro conſervando eundem*.

§. XVIII.

I. *Venæſectio* communi ferè Medicorum ſuffragiô hîc adornatur, ante omnia vero inter initia, & in ſubjectis Plethoricis, quibus hoc malum infenſiſſimum eſt, largior. In Fixâ quidem proximè ille locus, qui maximè dolet, in Vagâ verò, cum nullus ferè ſit, qui non doleat, in brachiis Medianæ eligendæ. Experientiâ enim jam olim comprobatum, hanc non modò utilem, ſed & neceſſariam ferè eſſe, quum dolor iſte atrociſſimus ni prorſus cedat, recedat tamen ad tempus, concedatque reliquis Medicamentis uſurpandis ſpatium. *Cucurbitulæ* etiam hic non improbandæ, ſi inprimis parti ſanæ applicentur, primumque regiones ſcarificandæ calidis fricentur linteolis, maximè quidem ubi jam tumor partes inſedit. *Fonticuli*, qui ad omnes ferè morbos declinandos frequentiſſimi hodie adhibentur, & hîc locum inveniunt ſuum; materiam enim, plus minus peccantem ſucceſſivè alliciunt, eamque eliminant. *Hirudines* applicari ſibi qui ſuſtinet, eatenus non peccat, quatenus Hæmorrhoides cæcas iis provocare intendit, aliàs approbatæ adeò non ſunt, nec multum in uſu.

§. XIX.

II. Pergo ad *Pharmaceuticum*, ubi alia Medicamen-

camenta ℵ. *Palliativè*, ſic dicendum, *tantùm*, alia verò ב. nunc *radicitus magis cauſam morbi tóllendo* præſtant. Illa prius conſiderabo. Reponam autem in eorum claſſem (1) *Anodyna cum Opiatis*, dolorem hîc maximè ſævientem, aliquatenus ſopientia & lenientia. Horum anteſignanus eſſe poteſt *Laudanum* non ſatis unquam laudandum; ita quidem, ut cum grano ſalis adhibeatur, inquam, doſis ſit adæquata, nec toties totiesque repetita, nunquam exhibeatur ſolum, ſed potius diaphoreticis, iisque NB. mitioribus maritatum, nec adeò frequens ſenibus concedatur, qui debiles id ferre non poſſunt, &c. alias melius foret abſtinuiſſe. (2) *Topica* his ſubnecto, quæ (*a*) *Spiritus noſtri corporis roborando præſtant.* Laudantur ſic Ωus lumbric. terreſtr. formicar. lilior. convallium, ſangvin. human. ⊖★ci ſaſſafrat. 🜈ni aliique; ⁂a, ut ſpicæ majoran. ſalviæ, thym caryophyll. nuc. moſch. ſuccin. &c. his adjunge *Balſama* ut Peruvianum, Schertzerian. Sulphur: & *Ungventa* hujus generis camphorâ plus minus ſaturata &c. b. *Dolorem verò paululum arcendo, qvæ* quicquam valeant, ſunt ⁂a e. gr. hyoſciam. papaver. fl. verbaſc. nymph. axung. hum. reliquaque. *Linimenta anodyna*, crocatis mixta, hucque maximè accommodata. *Emplaſtra* tutò admodum non applicantur, cutis enim poros nimium obſtruunt, transſpirationem impediunt, cauſtica illa ſalia intra corpus ſervant, aut interiora verſus magis repellunt, ſicque multis inflammationibus, nodis tophisque maturè apponendis multisque aliis malis anſam ſat habilem ſuppeditant.

§. XX.

§. XX.

Sequntur *Cauſam morbi radicitus magis* tollentia, eamque vel (α) *prorſus eliminando*, vel (β) *attemperando, ſeu vires morbi multum infringendo accommodata.* Illa inter cæteris palmam facilè præripiunt (1) *Vomitoria*, de quibus, inter initia, materiâque adhuc primas vias inſidente, adhibitis Experientia teſtatur, Arthritidem vel planè ſublatam, vel inſigniter tamen mitigatam fuiſſe. Sunt autem hujus generis v. gr. ♀rus emetic. croc. metallor. ☿ius vit. ritè præparatus, nunc in ſubſtantia, nunc per modum infuſionis l. a. propinata. &c. (2) *Purgantia*, quorum *Fortiora*, ſi requiruntur, eſſe poſſunt v. gr. Pulv. hermodactyl. qui verò, cum κακοςόμαχος ſit in formam Boli redigendus: e. gr. ℞. *Elect. caryocoſtin. ʒvj. pulv. hermod. gr. XV. Syrup. domeſtic. q. ſ. c. ſaccharo f. Bolus*, quem in multis Iſchiadicis *Schenfelderus loco citato* cum fructu exhibuit It. Colocynthis, helleb. nig. ſcammon. Gialapp. ☿ius dulc. reſinoſis iſtis implicatus, & horum plura. Illis *Mitiora*, uti ſunt *Laxantia*, præſtant præ cæteris, quæ ex tamarindis, rhabarb. mann. fol. ſenn. diagridio roſat. præparantur, ab initio exhibita, ſicque dictis Alterantibus interpoſita. De *Clyſteribus*, quum paucisſimi illos ferant, nihil addam, niſi, quod ex urinâ factos contra aciditatem ſpecificos prædicet *Plinius lib. 28. c. 8.* (3) *Diuretica*, per urinam abducentia, ſunt potisſimum ⦶rata, ♀area, □rinoſa, hisque præparata, v. g. ☊, Tincturæ, atque ⊖ia magis fixa Maſſam ſangvineam cōmovendi, neutiquàm verò ad Diaphoreſin diſponendi,

C nendi,

nendi ſufficientia, quod poſterius efficiunt (4) *Diaphoretica*, hujus loci quidem *Mitiora*, ne exſtimulando ⊖ia dolorem in corpore noſtro reddant exquiſitiorem v. gr. Rad. imperator: bardan. ſarſaparill. petaſit. ſambuc. lign. ſaſſafr. rhod. guajac. nunc ſub ſpecie infuſi vel decocti, aliis it. pro neceſſitate additis, exhibita: it. lap. ♋. C. C. variè paratum, Antihectic. Pot. Arcan. dupl. cum Laudano permixta. *Aquæ* deniq; & ♎us, quorum potiores ſi apponerem charta mihi deficeret.

§. XXI.

B. Quæ *vires morbi plus minus infringunt*, *Temperantia* audiunt, & operantur (1) *Acidum præcipitando*, uti ſunt ♂ialia, vel cruda, vel in Crocum aut Tincturas redacta. It. *Terrea & lapidoſa*, v. gr. lap. ♋. cryſtall. mont. mandib. luc. piſc. marg. friab. terræ ſigill. &c. interpoſitis diluentibus, diureticis, laxantibus, ne in corpore ſervata, ſalibus iſtis connubant, & dolori novas faces ſubjiciant. (2.) Vel *diluendo* huc faciunt. v. gr. InfuſumThee, it. Veronic. hepatic. cochlear. chamæd. chamæpith. fl. ſamb. roſar. rubr. primul. ver. borrag. viſc. quern. aut tiliac. rad. chin. ſarſaparill. fænic. alth. polypod. &c. pro infuſo, decocto, aut potu uſurpandis. Vel denique (3) *incraſſando* ſeu *ſpicula ſalium implicando quaſi*, qualia ſunt viſcidiora v. gr. decocta ex hordeo, avenâ dec. ſem. cydonior. aliaque ex dictis nutrientibus parata. It. pingvia & glutinoſa e. gr. Gelatina C. C. egregia prorſus. ſperm. cet. tacamahaca & ſic porrò. Quæ ſingula hactenus recenſita juſto tempore certo ordine

vel

vel etiam ritè mixta ſi adhibentur, ſpem Curantis vix fruſtratura ſpero.

§. XXII.

III. Hoſte ſic nunc fugatô, aut ſuperatô, diraque ab obſidione Microcoſmô liberatô,

Non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri.

Diætâ autem, nos in bono ſtatu conſervante, à malo verò præſervante, hoc maximè effici poteſt. Requiruntur autem ad eam rectè efformandam *ſex Res Nonnaturales.* (1) *Aer* temperatior ſicciorvé ſit, indè Vernus & Autumnalis ſuſpectus, uterque maris accolis prorſus inimicus exiſtit. Arte igitur, vel loci permutatione corigendus aut ſubterfugiendus. (2) *Cibus*, qui εὔχυμος καὶ εὔπεπτος dicitur, eligendus, talis eſt panis frumentaceus ritè fermentatus. Carnes mediæ plus minusvé rarioris texturæ v. g. vitulinæ, gallinaceæ, cancrorum, oſtrearum &c. (3) *Potus* ſit temperatus, præprimis cereviſia, quæ pura, defecata & mediæ ætatis, optima eſt. Vino & ſpiritu vini frumentique, quantum poſſibile, abſtinendum. Lac pingvius acido præcipitato, & repurgatis primis viis multum conducit. (4) *Vigiliæ*, dum ſpiritus conſumunt, & à concoctionis munere arcent, exceſſiviores vitandæ, quod pariter de *Somno* notandum. (4) *Motus*, eatenus commendandus, quatenus nimia corporis quies vitavé magis ſedentaria utrique Sexui infenſa obſervatur, malo hypochondriaco, Chloroſi aliisque malis inde oriundis. (5) *Excrementa*, quantum fieri poteſt, ſervent temporis, quantitatis atque qualitatis rationem.

 (6)

(6) *Animi* παθήματα deniq; cane pejus & angve fugienda, neque enim corpori ſolum, ſed animo quoque pernitioſiſſima extant, Summa:

Sit modus in rebus, ſint certi denique fines.

§. XXIII.

Hæccè fuere, quæ pro Arthritidis σκιαγραφίᾳ, temporis penuriâ & ingenioli anguſtiis diſſerere potui debuique cæterum omnibus & ſingulis, quibus *benè valere* cordi ſit, commendo illud tritum:

Ἄπεχου, ἢ ἄνεχου.

DEO SIT LAUS, HONOR ATQUE GLORIA.

Ortus

ORtus celebri gente BALDUI-
NORUM
Æquare dotes tentat Ante-
ceſſorum
Conatibus ſpectabilis Cedro dignis,
Arti medentûm mancipando ſe to-
tum,
Atque aucupando Nomen usque
manſurum,
Podagricis ſolatium paraturus,
Arthriticam dextrè luem levaturus
Qvæ pervagatur corpus impetu
dirô,
Illudque nön aptum negotiis reddit,
Cum vadat æger loripes velut Scazon:

Huic ſanitatem priſtinam reducendo
Famam reportat BALDUINUS & laudem.

εὐλογῶν.

D. GEORGIUS CHRISTOPHORUS PETRI ab Hartenfelß/ Sacri Pal. Cæſ. Comes, Conſiliar. & Archiat. Electoral. Mog. Conſul Primarius & Phyſicus Erffurtenſis, Univerſitatis & Fac. Med. Senior, P. P. & P. L. C.

Clariſſimo

DOMINO DOCTORANDO

BALDUINO,

PRO LICENTIA

Publicum Eruditionis Specimen edenti

OMNIA PROSPERA!

acclamat

JOANNES PHILIPPUS EYSELIUS,
Med. Doct. Anat. Chirurg. & Botan. Prof, Publ. Facult. ſuæ Aſſeſſor Ordinarius, P. L. C.

ARthritis furens quid ſit cauſasque remonſtras,
Eſt hic affectus quô vix crudelior ullus, Atti-

Articulos miſerè hic tortor divexat
& angit.
Hinc quo pejor hic eſt, tantò Tibi
gloria major.
Qvid profit membris rigidis digniſ-
ſima ſcribis,
Langvida Tu Medicâ ſanaſti corpo-
ra dextrâ,
Oſtendis quod ſis perdoctus Apol-
linis arte,
Sic decet ingenii vires convertere ad
uſum,
Nunc Tibi congenitæ ſe prodidit in-
dolis ardor.
Adplaudo cœptis, magnum Tibi
grator honorem,
Det Tibi fructiferam benedictio cœ-
lica ſpartam,
Indè Tibi & Patriæ conſurgent com-
moda mille!

Arthri-

ARthritidem vagam dum monſtras pellere doctè,
Adfectisque ſimul præſtantia pharmaca præbes,
Ingenii dotes, BALDWINE, protinus offers,
Hinc TIBI condigno dignisſima præmia proſtant.
Faxit, ſupernè qui degit, Rector Olympi,
Morbonæ inſultus felix ut tempore qvôvis
Pellas, ſic ſummi, queîs nunc mactatus, honores
Longum per tempus tribuent TIBI commoda plura!

Honeſtisſimis deſideriis Nobilisſimi DN. Doctorandi gratificaturus volante calamo ſcribebat

C. E. D.

FINIS.